

A 4 Non est autem frustra, quod tanto serio exaudiri precatur. Nam in eo sita est salus nostra, si pateant precibus nostris aures diuinæ. Nec est aliqua maior fidelibus in hac vita tot modis misera, & innumeris calamitatibus referta consolatio, quam quod aures Dei apertæ sunt ad preces afflictorum. Quorum enim preces à Deo admittuntur, non solum hoc habent consolationis, quod Deo sunt grati sed & quod in nullis afflictionibus deseri possunt.

Notandum autem simul est, quod licet causam habeat iustam, imploretq; iudicium Dei contra aduersarios, nihilominus tam obnoxie precatur Deum vt se audiat. Non efflagitat iudicium Dei ex debito, non contentiosè preterit iustitiam suam, sed precibus agit, illasq; suscipi petit, quod nihil est aliud, quam misericordiam & gratiam Dei implorare. Hoc exemplo & nobis vtendum. Licet enim iustam habeamus causam, ipsi tamen peccatores sumus, & digni, qui innumeris modis affligamur.

Quoniam alieni insurrexerunt.] Quia dixit versu 1. *Salua me, & iudica me*: iam subdit oppressionem, è qua liberari petit. Nam in summa vim sibi inferri ab improbis queritur: eamq; non vulgarem aliquam & leuiculam, sed planè extremam. Hoc est quod dicit, *Insurrexerunt aduersum me, & quarunt animam meam*. Deinde vt causam suam commendet iusto iudici, & pariter implorati auxilij necessitatè exprimat, appellat hostes suos, à quibus ad mortem quærebatur, primùm *alienos* deinde *fortes*: datq; illis contemptum ac neglectum Dei, quasi radicem eius violentiæ, quam sibi inferre conabatur. Suspicio autem hinc legendū non esse □□□□: id est, *alieni*: sed □□□□: id est, *superbi*: sicut & infra Psal. 86 vers. 14. habetur, qui ferè ad verbum isti consimilis est. Et exemplar Psalterij quinarij non □□□□, sed □□□□ habet, vbi & Chaldæus reddidit □□□□. Verùm cum nemine contenderim,

Vers. 3.

Quod *alienos* vocat, quidam referunt ad Ziphitas: & alterum, quod *fortes* appellat, ad Saulem, ac illius exercitum. Quoniam verò Ziphæi quoq; de Israëlitis fuerunt, arbitror tam Saulem cum suis, quam Ziphitas æquè notari, diciq; vtrosque alienos videlicet à pietate ac probitate Israëlitis. Ita & prophetæ Israëlitas idololatrias, item & Christus alienos vocauit, Ioan. 8. Et Hieremiæ 2. vocantur vitis aliena.

Docemur ergo hoc loco, quomodo cognoscendi sint à repub. Israëlitis alieni: nempe, qui ad inferendam vim immeritis parati sunt ac proni: vt Ziphæi, ad prodendum: Saul cum suis, ad persequendum sanguinem innoxium. Vetus illud est, vt qui secundum carnem est persequatur eum qui est secundum spiritum. Indicat ergo, se coram Deo accusare non populum Dei, veros Israëlitas, quos ex animo diligebat, pro quorum etiam salute & gloria peculiarem quandam ac singularem zelum ostenderat: sed alienos: id est, falsos Israëlitas. Et nos hodie, absit vt persecutionem passi, accusemus veros Christianos, quorum adhuc plurimi sunt sub tyrannide Antichristi constituti: sed eos accusamus, qui cum videri velint Christianissimi, hostes sunt Christi & Ecclesiæ illius, alieni prorsus à vera Christianorum pietate.

Deinde, quod eos *fortes* ac *robustos* vocat, ad magnitudinem periculi & auxilij necessitatè spectat. cuius gratia etiam versu 1. dixit: *Et in virtute tua iudica me*. Notandum est autem, quam non sit nouum, quod alieni in populo Dei robusti sunt & regnant, vitibusq; suis ad opprimendum iustos abutuntur. Et horum potentiam esse detestabilem, ac talem, quæ possit à pijs coram Deo accusari. Alioqui si iusti essent, & regni robore ad defendendum innocuos, & puniendum reprobos vterentur, probrosa non esset illorum potentia: nec talis, quam pius quisquam meritò posset coram Deo traducere. Nam omnis potestas à Deo ordinata est.

Tertiò, quod illis dat contemptum & neglectum Dei, quasi priora declarat, cur *alienos* eos vocet, & improbè suo robore abutentes: nempe, quod nullo Dei timore præditi sint. Idem dat impijs & alijs locis. vt Psal. 10: Iudicia tua procul sunt ab oculis ipsorum. & Psal. 86. vbi hic versus ferè ad verbum ponitur, nisi quod illic □□□□ *superbi* dicuntur, qui hinc dicuntur □□□□ *alieni*. Idem est autem ac si dicat: Summa securitate, absq; omni metu numinis propter robur quo suffulti sunt, nihil non audent, quosuis opprimentes. Tu ergo declara illis, esse te Deum ac iustum iudicem, qui odio habes iniquitatem, ac diligas iustitiam & innocentiam.

Notandum est itaq; ingenium piorum, qui vt ipsi Dominum in conspectu & ob oculos habent, in timore illius viuentes, vt videre est in Helia, qui dicebat ad Abdiam: Viuit Dominus, ante cuius vultum sto. Et in Susanna, quæ cum peteretur ad adulterij facinus, respondebat: Melius est vt incidam in manus vestras, quam vt peccem in conspectu Dei. Et Dauid: Quò ibo à Spiritu tuo, & quò à facie tua fugiam? Ita pro summa impietate ducunt, si viderint absq; vilo timore Dei delinqui, vt nullo pacto habeatur Deus ob oculos. Et hanc contumeliam nominis Dei, ardenti affectu coram Deo deplorant. Et si contigerit aliquando, vt & ipsi neglecto metu Dei delinquant, non possunt ad se reuersi eam impietatem satis in se culpate ac detestari, vt supra Psalmo 51. videre est in hoc ipso Dauide, vbi dicit: Tibi soli, tibi peccaui, & malum coram te feci. Nam peccatum suum ab oculis Mundi absconderat, oblitus oculorum Dei: quod animum ipsius postea plurimum cruciabat.

1. Reg. 18.

ALTERA PARS.

Eccè Deus est adiutor meus.] Post implorationem diuini auxilij, qua quomodo in ipsa fuerit persequutione affectus declarauit, commodum subiungit receptam fiduciam: vt exprimat, quomodo è periculo liberatus animam receperit, opemq; Domini agnouerit, & ad celebrandum nomen Domini accensus sit.

Vers. 4.

Eccè, inquit, Deus est adiutor meus.] Hoc scilicet dixit, vbi per Philistinorum irruptionè Saul à persequutione ipsius desistere coactus fuit, quod ipsi liberationis erat occasio. Et hoc adscribit Dauid non

uid non